

MEMORIAE
CAROLI THEODORI ANGERI

MATHEMATICI ASTRONOMIQUE INLUSTRISSIMI
CONLEGAE DESIDERATISSIMI
AMICI OPTIMI

A. D. VIII KAL. APRIL. ANNI MDCCCLVIII

SUBITA MORTE EXTINCTI

SACRUM.

Demissa quid stas, Musa, dolens procul
voltum, canorem atque imminuens lyrae,
dum cuncta gaudent ac triumphant,
flebile cur meditare carmen?

Festi diei secula tertiam
parca reponent quam Gedano vice,
si quid valebis laetum et amplum,
rite decet celebrare lucem.

Eheu, recusant fata genus frui
mortale puris invida gaudiis,
maestumque praesenti dolore
laeta futura agitare pectus.

Aurora noctis vix tenebras face
optata lentas edomuit nova,
cum molle ridentem dolosa
nubila surripuisse solem

Quaerunt. honorem poma parantium
vernun arborum, et quam credula rustici
solata promisit labores
spes segetem, rapiunt procellae.

Sic caeca leti cuncta quidem manus
humana caedens serius ocios,
quicquid beatumst aut beavit,
callida in hoc, properat ferire.

Qua TE peremptum praecepiti impetu,
ANGERE, TE mens dum mea ab inferis
frustra reposcit dulcem amicum,
non cohibet queribunda vocem.

Ergone semper frontis alacritas,
festiva mixtis dicta leporibus,
vulgaria et quaecunque sordent
despiciens animus latebit?

Funestus ille heu talia non dies
portenderat, quem ver hiemis vicem
tandem occupaturum recentia
mollierat tepidoque sole,

Cum literarum sacra domus fore
matrum coronae panderet ac patrum,
ludosque solennes iniret
discipulorum animosa virtus,

Laudis feraces TE duce, nobilem
celso volatu nec patientem humi
pennam ad iuventutis paterne
invalidos remorante nisu.

Illa hora iunctum muneris et pio
nobis amoris foedere mutui
multos in annos TE precatis
pollicitast socium senilem:

Promissa fallens illa eadem abstulit
firmo vigentem robore adhuc virum,
ruptoque divinus repente
carcere inerte animus petivit.

Caelestia ales tempa. redux ubi
certis vagantes ordinibus choros
miraris aeterni revisens
Patris opus placide annuentis.

Non solus: artis praemia sed novum
claro sodalem TE numero adgregant,
Keplerus in quo splendet atque
Hevelius Gedanense sidus.

H. St.